W 5552 1/100

Dilectis fraternitatis Apostolorum Petri et Pauli in officio
pro defunctis orationes secuntur

Tibi domine commendamus animas famulorum (fidelium) tuorum ut
defuncti seculo tibi vivant. et si que per fragilitatem hu-
mane conversationis peccata admiserint tu venia miseri-
cordissime pietatis absterge. Per.

Deus origo pietatis. pater misericordiarum. solamen tristium.
Indultor criminum. de cuius munere est quod bonum
dicitur procedit respice propitius supplicum preces. et
quamvis nos propria deputet indignos conscientia reatus
te nostris flecti peticionibus poscimus (quam te habundanterque
conceditur) aures tue pietatis Nam si committimus
in utroque vereremur esse rei quod et te precipis a pecca-
toribus exorari nec quod ac si non merito hoc agendum
te prestante tribuitur ministerio. Ergo domine sancte
pater omnipotens eterne deus. qui unicum filium tuum dominum
nostrum Ihesum Christum incarnari de virgine constituisti
quo vetustum solueret proprio cruore peccatum. quique etiam
cooperante sancti spiritus dignatus est mortis legem pati
ut vitam redderet mundo. Ipso opitulante animas fratrum
nostrorum. ab ergastulo carnalis temulente materie exemptas
ab omnibus piaculis absoluas. Non patiantur insi-
dias omnes sanctam demonum. propter quas misisti ad
terras unicum filium tuum. Amen. Libera et absolue
eos a tetra voragine inferni. quas redemisti
precio sanguinis unigeniti filii tui. Amen. Libera et
absolue eos ab estuantis incendio gehenne collocans
in paradisi amenitate. Amen. Non sentiant
piissime pater quod calet in flammis. quod stridet in
penis. sed misericordia tue magnificentie preuente
mereantur euadere iudicium ultionis. et beate
~~requiei~~ requiei ac lucis eterne felicitatibus perfrui
prestante eodem unigenito tuo domino nostro Ihesu Christo qui
venturus est iudicare


TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG